

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

N. I

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)



CODEX DIPLOMATICUS  
HISTORIÆ  
ZARINGO-BADENSIS.

N. I.

DAGOBERTI REGIS DIPLOMA DE THERMIS BADENSIBUS,  
QUAS ABBATIÆ WEISSENBURGENSI DONAT.

A N N O D C L X X V I

*Ex Chartulario veteri Ecclesiæ Weissenburg.*



Dagobertus Rex Francorum Viris Illustribus, Ducibus, Co-  
mitibus, Domesticis, & omnibus gentibus, tam præ-  
sentibus quam futuris. Illud ad stabilitatem regni vel  
remedium anime nostre perdurare credimus, si peti-

A

tionibus sacerdotum, in quo auribus nostris patefecerint, ad effe-  
ctum perducimus. Ideo cognoscat magnitudo seu utilitas vestra,  
quia nos ad suggestionem viri venerabilis Ratfridi, Abbatis de  
Monasterio Wizinburgo, *Balneas* illas trans Rhenum in pago *Auciacense*  
fitas, (quas Antonius & Adrianus quondam Imperatores suo opere edi-  
ficaverunt) ad Monasterium, quod dicitur Wissenburg, & est constru-  
ctum in honore S. Petri in pago Spirensse, vici fuimus concessisse, cum  
omnibus, & cum ipsa marcha ad ipsas *Balneas* pertinente, que veniet  
de ambabus lateribus usque in fluvium Murga, & de uno fronte ad par-  
tem Occidentalem Rafta una, & de alio fronte ad partem Orientalem  
leuius sex, quot homines loci istius siti dicunt raftas tres. Propterea  
hoc preceptum cessionis fieri jussimus, ut ab hac die memoratus Ratsfri-  
dus Abbas, vel Patres ipsius Monasterii Wissemburgensis, sive suc-  
cessores vel Monachi ibidem commanentes, de supra scriptis *Balneis*, que  
dicuntur aquas calidas, vel Marcha ad ipsas *Balneas* pertinente, faciant,  
quod ipsi maluerint, hoc est, habendi, tenendi, suisque successoribus  
relinquendi firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et ut hec pre-  
fens autoritas firmior sit; manu nostra, vel annulo nostro subter eam  
decrevimus roborari. In Cristi nomine Dagobertus Rex. Data sub die  
Kal. Auguſti, anno secundo regni nostri.

Nota. *Coccius* in *Dagoberto* pag. 175. Chartam hinc inde mutatam exhibet,  
atque ex eo *BOUQUETUS* in *Scriptoribus Rer. Franc.* Tom. IV. p. 654.  
*Coccii* tempore ignotus fuit *Dagobertus II.* unde eam *Dagoberto* primo  
male adscripsit. *Observationes* ad *Præceptum* hoc *Alsatia Diplomatica*  
dabit.